

aliquantulum minor, cætera multum consimilis, quæ in montanis partibus gratia multum degit, floribusque omnis generis alitur. In cauatibus autem saxis, aut arborum latebris, quæ plerumque ex ictu fulminis fieri solent, domicilium sibi è fauis construit, succumque nobilissimum ibi cogit: qui dulcedine mellis nostro haud multum cedat. Circuibat ita Alexander Hyrcaniam totam, & gentes ei conterminas. Interimque duces multi, qui cum Dareo post aduersam pugnam fugerant, seipsos in Alexandri potestatem dederunt: quibus humanissime receptis, magnum sibi clementiæ nomen comparauit. Eaque res effectit, ut Greci, qui sub Dareo merebatur, circiter mille et quingenti fortissimi uiri, & ipsi in Alexandri fidem se crediderint. Eos rex, uenia condonata, in suos ordines distribuit: uoluitque, ut idem stipendium, quod ab hoste accipiebatur, apud se haberent. Sed enim quum Alexander per maritima Hyrcaniæ iter faceret, coactus est hostiliter in Mardorum terram irrumpere. Hi enim robore multum præstantes, tantæ regis magnitudinem nihili faciebant: neque legatione aut honore aliquo eum dignabantur. Itinera, quibus ad se intrari posset, octo millibus hominum firmauerant, Macedonumque aduentum ita confidenter operiebantur. Alexander igitur prælio cum eis congressus, maiorem partem interfecit, reliquos usque ad superiora regionis loca est insequutus. Deinde igne totam eorum terram uastare cepit. Tunc pueris, qui equos regios ducebant paulum post regem euntibus, Barbari aliquot facto impetu, equum, qui cæteris erat melior, abstulerunt. Hunc equum regi donauerat Corinthius Demarathus, eoque Alexander in omnibus præliis Alii usus erat. Is, quum esset nudus, sibi etiam equifonem infidere patiebatur. At quum ephippijs, & regijs ornamentis erat instructus, sessorum alium nullum quam Alexandrum accipiebat, cui et ultro adstabat, corpusque inscendenti reclinabat. Ob eiusmodi dotes, equum eum sibi ablatum esse agerrime ferens Alexander, iussit loci arbores omnes concidi, perque homines eiusdem lingue incolis denunciari, nisi equum restituerint, omnes eorum agros & urbes uastari. homines ad internecionem occidi debere. Hac comminatione breui divulgata, Barbari perterriti sunt, equumque cum magnis muneribus per uitros quinquaginta remiserunt, orantes uti secum clementer agere uellet. Alexander acceptis obsequiis in signioribus uiris, pacem eis dedit, rursusque in Hyrcaniam est reuersus, ubi Thalestris Amazonum regina eum conuenit. Imperabat hæc regioni, quæ est inter Phasim & Thermodoonta, pulchritudine & corporis robore excellens ualde foemina, uirtute autem & animi magnitudine cui uis gentis suæ præstabat. Reliquerat copias suas in Hyrcaniæ finibus, trecentas tantum Amazonas bene ornatas secum adduxerat. Alexander reginæ aduentum inexpectatum, egregiamque foeminarum dignitatem non mediocriter admiratus, interrogauit Thalestrim, cuius rei gratia ad se uenisset. Illa se proliis suscipiendæ causa ad eum uenisse respondit. Quum enim ipse rebus gestis facile omnium mortalium præstantissimus sit, se autem uiribus corporis & animi uirtute foeminas cunctas antecedere cognoscat: uerisimile esse, ex adeo excellentibus parentibus editos liberos reliquis hominibus fore meliores. Pellectus est Alexander, et plurimum oblectatus talibus reginæ sermonibus. Quumque dies tredecim simul uersati fuissent, magnis muneribus eam donata rex, ut domum rediret, dimisit. Cœpit nunc primum Alexander in deliciis & luxu Asiaticum desciscere, uidens Persarum imperio, quod affectauerat, se positum, neque parto regno hostem aliquem timendum imminere. Ante omnia apparatus quoscunque aule, in Asia natos homines esse uoluit. Clarissimisque eiusdem gentis officium iniunxit, ut circa se cum telo ad corporis custodiã essent. In his erat Oxathres, Darei frater. Diadema Persicum capiti induxit, & alba tunica cum cingulo Persarum more utebatur, omnemque profusus habitum peregrinum, præter feminalia & uelamen, quem Candym nuncupant, adsumpsit. Amicis etiam uestimenta distribuit, equosque instructum Persico ornari fecit. Ad hæc concubinas